

**Inno per la liturgia in onore di Sant' Angelo
dall'Ordinale di Sibert de Beka (c.1312)**

Si canta sulla melodia del Pange lingua

Angelorum gaudent chori, Angeli commercio
Quem merita sublimarunt in coeli palatio,
Et cum Christo collocarunt nobili martyrio.

Plebs exultet, Deo, grata et sancta religio
Carmelorum decorate Angeli consortio
Tellus exultet beata Siculorum regio.

Angelus mente divina aspirans coelestibus,
Cum viciorum ruina et virtutum floribus,
Contempsit mundum toto corde, cum suis honoribus.

Contemplator arcis summae, paradisi praemia
Verbo vitae praemonitus, Carmelorum agmina
Ecce petit atenellis cum superna gratia.

Praedicator veritatis virtutumque speculum,
Gemma sanctae puritatis, pacis domicilium,
Angelus hic vocabatur ob virtutis meritum.

Angelus religiones per orbem condecorat
Magnus pater Dominicus eius verbo suggebat,
Stigmatibus et Franciscus ad pedes se prostrabat,

Uterque Spiritu Sancto repletus prophetavit
Martyrium seraphicus Angelo nuntiavit
Angelus stigmata sacra prostrato aperuit.

Unde chorus hic devotus ob honorem Angeli
Fundit preces, hymnos, laudes mente, corde humili
Ad te cuius corpus donat dulces fontes olei.

Genitori, Genitoque laus et iubilatio,
Salus, honor, virtus quoque sit et benedictio:
Procedenti ab utroque compar sit laudatio.
Amen.